N. 933.

CURRENDA IV.

A. D. 1858.

Nr. 863.

Consignatio Presbyterorum e fundo Religionis participantium et nedum Missas exinde habentium &c. anteponenda adurgetur et nova Consignatio ordinatur.

In Currenda X. a. e. N. 2549. Perillustribus Decanis commendavimus, ut intra m. Novembrem 1857. duas Consignationes ad Nos promoverent; nimirum unam, quæ exhiberet Ven. Curatos aut Cooperatores e fundo religionis portionem aliquam, aut salarium totum, aut additamentum nonnisi ad salarium, sive congruam stabile, perenne, non momentaneum, trahentes, sed Missas e fundo Religionis ab Exc. Regimine nedum assignatas habentes; et secundam, quæ patefaceret illos Presbyteros, ex eodem fundo participantes, Missis exinde provisos quidem, ast philuris Missarum e fundo Religionis ab alto Regimine submissis orbatos &c. Verum hucusque pauci solummodo huic Dispositioni satisfecere; et hi plerumque Relationes singulorum Presbyterorum, *mancas*, aut *recalcitrantes*, sine adjecta Consignatione submiserunt; et reliqui adhuc deprehenduntur esse in restantia.

Quoniam Dispositionis citatæ intellectus nonnulis difficilis esse auditur, et alii hoc in negotio conceptibus haud salubribus præocupati deprehenduntur, sequentia ad illustrandam illam et refellendos conceptus perplexos et evitandos neglectus varios, in medium proferendos esse consemus:

Usque ad sublationem dierum laboratilium, decimarum ac Messalium, Curati aut Cooperatores gaudebant plures e fundo religionis, salario toto vel pro parte, atque tale salarium, talis portio vocari potest stabilis, continua, simulque ceu beneficium (dobrodziejstwo) consideranda est, Quoniam vero fundus religionis Missas sublatorum Conventuum, suppressarumque Confraternitatum, Præbendarum, Collegiatarum .... in se suscipere tenebatur, atque reditus ejus non sufficit ad curandam persolutionem illarum Missarum, quarum numerus ingens esse noscitur, alio modo, quam ut eædem distribuerentur inter Sacerdotes e fundo toties memorato provisos. Quapropter ejusmodi Sacerdotibus communiter post assignationem portionis e fundo relig. seu e cassa publica, congruus Missarum *stabilium* numerus, in philura germanica (Meßbedeckungsbogen, Messenausweis) quæ etiam summam assignatam, nec non originem ejus, intentionem Missarum ... continet, assignabatur et mediante Consistorio hujate mittebatur cum adjecto, ut inter ecclesiæ documenta asservaretur, persolutioq in libro implendarum obli-

gationum præscripto sedulo prænotaretur. Verum enim vero illæ philuræ sensim ob frequentes Presbyterorum mutationes penes plures ecclesias evanuisse et Missarum persolutionem prænotatam haud esse convincimur, imo plane neglectam esse comperuimus. Alii rursus philuras receperunt cum Missis restantialibus (Rückstandsmessen) pro aliquot tantum annis cum demandatione, ut finita earum absolutione philuram remitterent statim, ast mandato e timore, ne alias novas accipiant, non obtemperarunt, ac si ob justitiam aut gratitudinem in benefactores non tenerentur ad reciprocum Missarum officium. Nonnulli ex oblivione plane nullas assignatas obtinuerunt, licet per notabilem annorum tractum gauderent salario vel additamento e fundo illo publico, et e jure canonico notitiam nacti essent de onere Missarum exinde suscipiendo, item e disciplina morali de justitia, gratitudine, recompensatione.

Qui noscit originem dotationum ecclesiasticarum, quibus pii fundatores sæpe præter animarum curam etiam Missas adjunxere; et adhucdum illas novis censibus, aut reditibus aliis augentes, missas aut alia adjungunt; qui libere accedunt ad institutionem beneficii canonicam, vi cujus ad impletionem cunctorum officiorum beneficio impositorum adeoq et Missarum fundationalium obligantur in conscientia, vix in medium proferre audebunt temeram quorumdam opinionem, congruam liberam esse oportere ab omni missarum fundationalium onere.

Quoniam Præsulibus in ses. XXV. Conc. Trident. imponitur obligatio invigilandi persolutioni obligationum ex aliqua fundatione redundantium, ea quoq. ad obligationes Fundi religionis extenditur eo, ut tam impositæ rite adimpleantur, nec non restantes, nedum distributæ, distribuantur, adeoq hac obligatione permoti Perillustres Decanos sub Nro 2549 supra citato obstrinximus, quatenus ex sua quoq. parte solicitudinem hoc in gravi negotio impendant, consignantes cunctos, qui portione *continua* e fundo religionis fruuntur, ast nullas ejusmodi Missarum obligationes absolvunt, aut philuras earum amplius inter acta non conspiciunt.. ast illos omittant, qui primum post sublationem dierum laboratilium, decimarum et Messalium interimaliter, ad tempus nonnisi breve trahunt aut totum aut partem salarii e cassa publica, quæ portio Missis e parte ærarii publici non oneratur tamdiu, donec indemnisationis negotium terminatum fuerit.

Etiam hoc serviat pro notitia, quod post terminatum indemnisationis negotium, ibidem, ubi congrua non est integra, additamentum jam assignatum est, videlicet e fundo relig. adeoq. isthoc Missis cx eodem fundo onerandum venit.

His præmissis a quibusdam Presbyteris præstolabimur aliam hac in re persuasionem at a P. T. Decanis, qui adhuc in restantia deprehenduntur, expectabimus *duas* Consignationes post *festa paschalia* ad Nos expediendas; nimirum *unam* Presbyterorum sine Missis adhuc et *secundam* similium sine philuris novis pro deperditis, juxta formular infra impressum mutatis mutandis confectam. Insuper Perillustres Decanos obstringimus, ut pro Cancellaria Decanali consignationem Presbyterorum e fundo relig. participantium, e pluribus nefors philuris constantem introducant *generalem*, etiam juxta formular attactum, adornatam, attamen mutatis mutandis

compositam, cui cunctas e fundo relig. portiones ac Missas pro eis assignatas, præsentes et futuras inserent, quam sæpe inspicient, nec non ad visitationes Decanales fine capiendi convictionem de accurata Missarum quæstionis persolutione, aut philuræ expiratione, Secum vehent.. ac pro re nata relationem aut de intermissa ob vacantiam absolutione, aut de submittenda nova philura &c. ad Nos expedient.

Consignatio

Presbyterorum e fundo Religionis participantium et Missis exinde non onustorum, ... philuris novis pro deperditis non provisorum:. in Dec. N. N.

I. Nrus serialis	II. Nomen parochiæ	III. Nomen et Cognomen Parochi aut Cooperatoris participant.	IV. Summa assignata	V. Datum et Nrus assignationis summæ e parte Exc. Regim. et Intimat. Coalis	VI. Datum et Nrus assignationis Missarum Exc. Regim. et Intim. Coalis	VII. Numerus Missarum et intentio	VIII. Datum et numerus philuræ deperditæ	IV. Adnotatio, num Missæ perennes, an restantiales

NB. Hæ 4.. rubricæ VI. VII. VIII. et IX omittitantur in Consignatione, ubi nullæ adhuc Missæ assignatæ sunt.

Nr. 875.

Calendarium singulare una cum Schematismo Cleri totius Imperii Astriaci edendum &c. publicatur.

D. G. Simanitsch jun. juxta tenorem Litterarum Ejus de 1. Martii a. c. Gratii editurus est *Calendarium* sub titulo: Oestreichs Priester-Almanach, quod præter consuetas Calendarii notitias ac originales elucubrationes ex agricultura, montanistica, atq. pro re domestica, nec non œconomica necessariis, sed completum quoq universi Cleri in vastissimo Imperio Austriaco degentis, *Schematismum* continebit, cum fine Augusti a. c. prænumerationisq. via usq. ad 24. April a. c. patebit. Pretium prænumerationis hujus Almanachi in annum 1859. pro 1. exemplari in charta alba 2 dto in charta, bene comp. 3 Rh. C.M. &c. statuitur, P. T. Prænumeraturi *quantocyus*, ante 24. April. a. c. quotam prænnmerationis ad Cancellariam Nostram, aut ad vicinos Bibliopolas expedire properent.

N. 2742. ex 1857.

Gratiae pro sublevatione Missionum in America septentrionali aguntur &c.

Vener. Directio centralis Societatis Leopoldinae Vienna ddto 11. Sept. a. e. N. 2788 intimas submittit gratias pro recepta e Diœcesi Nostra quota 79 Rh. C. M. nimirum 1. E Dec.

Bialensi 12 Rh. 59 xr. 2. E Dopczyc. 7. Rh. 50 xr. 3. Ex Łącen. 3 Rh. 30 xr. 4. Ex Oświęcim 41 Rh. 48 xr. 5. E Tarn. 12 Rh. 45 xr. C. M. usq. ad 28. Jul. a. e. collecta, quæ saluberrimo fini dicata benedictionem inter conversos aut consolidatos Americæ Septent. incolas jam exerit, qui precibus fervidis pro lato subsidio Benefactoribus aliam eamq. terestrem ac perennem benedictionem expetere nituntur, Libelli hujus Fundationis sensim Ven. Clero communicati fructus exhibent conspicuos, atq. Ipsa Missiones ulteriori curæ nostræ commendat. His commoti colligamus rursus Venerabiles Fratres! quotas in Diœcesi tota.... et non solum ore precemur: *Adveniat Regnum Tuum*! sed opere etiam vota nostra prosequamur.

Nowe dzieło: Lidia, zaleca się.

Lidią, Obraz z czasów Cesarza rzymskiego Marka Aureliusza wydał Herman Geiger ksiądz świecki w Mnichowie 1857, według drugiego zaś poprawnego wydania przełożył ją na język polsk! JMX. Kanonik Mich. Król w Tarnowie. Fabiola rozpoznaje nas z młodém wzrastającém Chrześcianstwem w Rzymie, Kallista czyni to w Osadach Afrikańskich, ą Lidia wprowadza nas do Grecyi, pokazując, jak się tam ziarno Ewanielii ku końcu wieku trzeciego roskrzewiało.

Treść dzieła, to jest działanie bogobojnéj duszy niewolnicy chrześciańskiéj, Lidii, na polu bożem, i rozkład jéj usiłowań wśród przeciwnych okoliczności tak do rozumu i serca przemawiają, że nic więcéj w tym względzie do życzenia nie pozostaje.

Uwiadomienia tego niejest celem, żeby Wam Szanowni Bracia! to tłomaczenie narzucono; raczéj mieści ono prośbę, żebyście uwagę na Lidią zwrócili Waszych Parafian, Przyjaciół, i znajomych. Dziś w wyższych stanach czytanie książek stało się potrzebą. Chcą ludzie czytać, niechże czytają to, co, nauczając, budując, bawi i przyczynia się do doskonałości chrześciańskiéj. Przerzuciwszy tylko ulotnie kartki Lidii, prz ekonacie się, że ona temu zadaniu odpowiada.

Cena dziełka 1 fl. 20 kr. M. K. W Tarnowie u Wydawcy i w księgarni, także w Krakowie w księgarni W. P. Wielogłowskiego sprzedaje się. Urzędom dekanalnym, ile zażądają, nadeśle się. Później w innych księgarniach znajdować się będzie.

Josephus Alojsius,
Episcopus Tarnoviensis.

E Consistorio Episcopali,
Tarnoviae, die 25. Mart. 1858.
PAULUS PIKULSKI, Cancellarius.

Typis Anastasii Rusinowski Tarnoviæ.